



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Alexandro VII. Ad Clementem X.

Luxemburgi, MDCCXLII.

LII. Exemptio nonnullorum familiarum suorum à spolio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74833)

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

EX inuncto Nobis divinitus Pastoralis sollicitudinis munere singularum merita æqua lance pendentes, illorum, qui in Ecclesiæ, & Religionis obsequium, operam, studiumque suum laudabiliter conferunt, honorificentia libenter consulimus, sicut rationi consentaneum esse arbitramur in Domino.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Ludovicus Magnus à Cantu Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Conventualium nuncupatorum, quod in eodem Ordine reperiuntur Definitorum perpetui qui Patres Provinciae vocari solent in quinque species distincti, nempe aliqui propter gestum in propria, vel aliena Provincia Provincialatus officium, alii quia Lecturam duodecim annorum spatio in regentis, inter quas sunt quæ primæ Classis vocantur & Collegiis, vel universitatibus Studii Generalis exercuerint, alii ex eo quod verbum Dei eodem temporis spatio, in pulpitis, seu Ecclesiis per Decreta d. Ordinis præscriptis prædicaverint, alii quia cum in Sacra Theologia Magistri essent, per annos duodecim Magistri Novitiorum munere functi sint, & reliqui ex Decreto fel. rec. Alexandri Papæ VII. Prædecessoris Nostri, qui pariter Magister in Sacra Theologia gradu decorati per duodecim annorum decursum, Inquisitores hæreticæ pravitatis fuerint; seu partim Lecturam, ut supra, & partim Inquisitionis officium exercuerint. Inter præfatos autem Definitorum perpetuos, sive Patres Provinciae ea est differentia, quod qui propter gestum Provincialatum tales sunt, tamen juvenes, cæteros Definitorum perpetuos, seu Patres Provinciae huiusmodi antea longè institutos, præcedant; Hac verò differentia à dilectis pariter filiis Ministro Generali, ac Definitoribus Generalibus perpetuis, & Assistentibus dicti Ordinis maturè considerata, simulque perpenis laboribus eorum, qui legunt, prædicant, Novitiorum institutioni præstant, & Tribunali Officii Inquisitionis hæreticæ pravitatis inserviunt, qui plerumque non provehuntur ad Provincialatum, ad quem ut plurimum, promoventur eorum discipuli, aut alii meritis, & qualitate inferiores, qui subinde eos præcedunt non sine eorum verecundia, & aliorum admiratione, ipsi Minister Generalis, ac Definitorum Generales, & Assistentes, re cum dilecto filio nostro Giberto S. R. E. Cardinale Borromæo nuncupato Ordinis præfati apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectore communicata, illoque assentiente censuerunt rem omnem ex Nostra, & huius Sanctæ Sedis providentia ad æqualitatem fore redigendam, ne Fratres ejusdem Ordinis ad studiosos labores reddantur segniores. sed ad illos potius in Ecclesiæ obsequium, & dicti Ordinis decorem alacriter suscipiendos, atque peragendos animentur. Quare dictus Ludovicus Procurator Generalis eorumdem Ministri Generalis, ac Definitorum Generalium, & Assistentium nomine Nobis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Indulget. ut in rubr.

§. 2. Nos igitur ipsos Ministrum Generalem, ac Definitorum Generales, & assistentes, necnon Ludovicum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes & absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ut de cætero omnes, & singuli Definitorum perpetui Provinciarum dicti Ordinis mo-

do, & forma præfatis post finitum lecturæ, seu prædicationis, vel Magisterii Novitiorum, aut Inquisitoratus tempus per Constitutionem ejusdem Ordinis, seu præfatum Alexandri Prædecessoris decretum respectivè præscriptum, ab existente pro tempore Ministro Generali Ordinis huiusmodi per patentes ejus Litteras, cæteroqui Canonice hæcenus instituti, & in futurum instituendi illico Exprovincialium præminentis, prærogativis & præcedentis fruuntur, poriantur, & gaudeant in omnibus, & per omnia, ac sine ulla profus differentia, ac si Provincialatus munere functi fuissent, atque ita inter eos, & Exprovinciales præfatos servetur æqualitas, quoad Ordinem præcedentiæ sola prioritas, sive antianitas Definitoratus, & Paternitatis Provinciae attendatur, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

§. 3. Decernentes easdem præfatas Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere & fore, suoque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quomodocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab illis respectivè inviolabiliter observari.

§. 4. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his à quorum quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis, & Provinciarum huiusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque;

§. 6. Volumus autem ut earumdem præsentium Litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem profus fides adhibeatur in judicio, & extra, quæ præsentibus ipsis adhibetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 1. Decembris 1671. Pontificatus Nostri Anno secundo.

Exemptio nonnullorum familiarium suorum à spolio.

Simile privilegium inter alia concessit Dapiferis S. R. E. Cardinalium Clemens IX. Constit. 5. & hic idem Pont. Const. 4. Nos volentes.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

ROMANUS Pontifex gratiarum Dispensator, suos, & Apostolicæ Sedis devotos & fideles, præsertim illos, qui ei, & Sedi præfate grata familiaritatis obsequia jugiter impendunt, specialis benevolentia favoribus complecti solet, prout personarum qualitatis debite pensatis, censet rationi, & aequitati esse consentaneum.

§. 1. Hinc est, quod Nos quorundam familiarium Nostrorum, quorum nomina infra sunt expressa, indemnitate quantum cum Domino possumus consulere, illosque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares

Decretum irritans.

Nec aliter judicari posse decernit.

Contrarium derogatio.

Transumptorum fides.

Dat. P. An. 2. die 1. Dec.

LII.

Edita A. D. 1671.

Exordium.

Motiva.

perfo-

personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequent. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolica potestatis plenitudine, etiã præter, & ultra quascumque alias similes, vel dissimiles, generales, vel speciales gratias, facultates, exemptiones, indulgentias, & privilegia eisdem familiaribus infra nominatis hæcenus à Nobis, vel Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris concessas, & concessas, & imposterum, etiã à Nobis, & Successoribus Nostris Romanis pariter Pontificibus concedendas, & concedenda, quas omnes, & singulas, ac omnia, & singula perinde ac si illarum, & illorum omnium tenores præsentibus expressi, ac de verbo ad verbum inferti forent, in suo robore, & firmitate remanere & esse, nec per illas, aut illa eisdem præsentibus, vel per præsentem illis in aliquo præjudicari, vel eas, seu ea invicem confundi, seu impediri, sed etiã cumulativè procedendo, unam, seu unum per aliam, seu aliud coadjuvare, & suppleri posse, & debere decernimus, & declaramus, eisdem familiaribus Nostris infra nominatis, & eorum cuilibet, quod eorum, & cujuslibet eorum hæredes, donatarii, legatarii, & successores tam ex testamento, seu alia dispositione, quam ab intestato ratione sanguinis eis, & cuilibet eorum succedentes, sive alii ab eis, & eorum quolibet, eorumque, & cuilibet eorum hæredibus, donatariis, legatariis, & successoribus hujusmodi causam quomodolibet habentes quicumque per Camerarium nostrum pro tempore existentem, Thesaurarium generalem, aut Commissarium, vel spoliorem, juriumque Camera Apostolicæ debitorum Collectores, & Subcollectores, sive alios quoscumque Officiales, & Ministros ipsius Camera, seu quoscumque alios, tam ratione quorumcumque beneficiorum Ecclesiasticorum quomodolibet nuncupatorum, & qualitercumque qualificatorum, etiã personalem residentiam requirentium, per eos hæcenus obtentorum, & in posterum obtinendorum, cujuscumque valoris, & annui redditus, etiã maximi, excessivi, & inexcogitabilis existant, quam etiã ratione quorumcumque pensionum annuarum super quibusvis fructibus, redditibus, & proventibus Ecclesiasticis Apostolica auctoritate eis hæcenus reservatarum, seu in eos simili auctoritate translatarum, ac de cætero eadem auctoritate eis reservandarum, aut in eos transferendarum, ad quancumque summam, etiã maximam, & inexcogitabilem ascendant, nullo unquam tempore super rebus, & bonis per eos, & quemlibet eorum respectivè pro tempore relictis, etiã si ab intestato, & sine ulla, vel cum minus valida bonorum suorum dispensatione ipsi, & eorum quilibet respectivè ubivis locorum, in qualibet Mundi parte, tam continua, quam interpolata illorum inibi mansione, ac etiã extra loca debita residentia, ac etiã iter agendo ab humanis decedant, molestari, perturbari, aut inquietari nullatenus possint, nec debeant, itant de omnibus, & quibuscumque rebus, & bonis suis, ac per eos, & eorum quemlibet acquisitis, & acquirendis, tam ex præfatis jam obtentis, & obtinendis beneficiis, quam etiã ex præfatis eis jam reservatis, seu reservandis, ac in eos translatis, & transferendis pensionibus, ut præfertur tam inter vivos, quam causa mortis, & in ultima voluntate, ac in favorem quorumcumque (non tamen personarum à jure prohibitarum, & incapacium) disponere, seu illa etiã ab intestato transmittere liberè, & licitè valeant, tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

§. 2. Districtus inhibentes eisdem Camerario, Thesaurario, Commissario, aliisque Sedis, & Ca-

meræ præfatarum Officialibus, & Ministris, seu aliis quibuscumque, ne in bonis, & rebus per eos, & eorum quemlibet respectivè pro tempore relictis beneficiorum, vel pensionum hujusmodi occasione, vel prætextu manus injicere, aut aliquam illorum descriptionem, seu inventarium, aut depositum, vel sequestrum, seu quid simile facere, vel attentare quoquomodo audeant, vel præsumant.

§. 3. Ac decernentes præsentibus Litteras firmas, validas, & efficaces existere, & fore, illisque, & eorum cuilibet, ac hæredibus, & successoribus eorum, aliisque præfatis in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari; Sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiã Causarum Palatii Apostolici Auditores, necnon præfatos Camerarium, Thesaurarium, Commissarium, Præsidentes Clericos, & alios quoscumque Camera, & Sedis præfatarum Ministros, & Officiales, ac quovis alios, etiã S. R. E. Cardinales, etiã de latere Legatos, ac Sedis præfatae Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstant præmissis ac quatenus opus sit Regula Nostra de non tollendo jure quæsito, necnon fel. record. Pii PP. IV. Prædecessoris Nostris de gratiis qualescumque interesse Camera præfata concernen. in eadem Camera presentandis, & registrari faciendis, ita ut præsentibus inibi presentari, & registrari nullo unquam tempore necesse sit, & aliis etiã Nostris, ac quibusvis Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, dictæque Camera, etiã juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indulgentiis, & Litteris Apostolicis eidem Camera, illiusque Officialibus, & Ministris, ac quibusvis aliis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiã derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & efficacissimis, & insolitius clausulis, ac Decretis, etiã Motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus, etiã consistorialiter, ac ex causa, & titulo onerosis in genere, vel in specie, ac alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, ac pluries innovatis, & approbatis. Quibus omnibus, & singulis, etiã si pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus plenè, & sufficienter expressis, & infertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiã impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in judicio, & extrà illud, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensa.

§. 6. Nomina autem familiarium Nostrorum sunt, quæ sequuntur, videlicet: Venerabiles fratres Alexander Crescentius, Patriarcha Alexandrinus cubiculi Nostris, Bernardinus Roccius Archiepiscopus Damascenus, Palatii Nostris Apostolici respectivè Præsides, Stephanus de Augustinis Archiepiscopus Heracleæ Eleemosynarius Secretus Nostris, & Joseph Fusianus Episcopus Helenepoli-

1671.
tra præfata
quid mini-
mum atten-
tare.

Decretum ir-
ritans.

Contrario-
rum derogatio.

Transumptio-
rum fides.

Nomina fa-
miliarium.

Dispositio-
nem bono-
rum suis fa-
miliaribus li-
beram con-
cedit.

Inhibet ju-
dicibus con-



tan. Sacarii Nostri Praefectus, ac dilecti filii Magistri Joannes Gualterius Slusius Leodien. Secretarius Brevium Nostrorum Secretorum, & Prosper Bottinius Lucan. Auditor, in utraque Signatura Nostra Referendarii, Praelati Domestici Nostri, necnon Josephus Vallemianus Pincerna, Franciscus Polinus, Nicolaus Gentilis Camerinen. Architrictinus, Carolus Balduccius Tusculan. Vestiarus, Afcanius Peganelus, Venantius Benignus, Octavianus Cambius Camerinen., Antonius Simon Baglionus Pisaren. notarum arcanarum Secretarius, Floridus Salvatorius Civitatis Castellae Medicus secretus, Dominicus Panti Pisaren. Pomponius Cavallus Ravennaten. Joannes Angelus ab Alcaemps Romanus, Marius Thaddaeus Ilcinen. Marius Spinula Jantien. Litterarum NostRARUM in forma Brevis ad Principes Secretarius, Nicolaus Piccolomineus Senen. Secretarius libellorum supplicum Nobis porrectorum, Octavius Falconerius Florentin., Petrus de Joanne Syracusan., Nicolaus Antonius Fili ab Altamura, Hugo Hubertus de Serviti. Gratianopolitan. & Gulielmus Baro de Furfstenbergh Colonien. Cubicularii Secreti Nostri, ac Sanctes de Pilastris Subdatarius Noster, Riccardus Crucianus Camerinen. Caudararius, Antonius Maria Martorellus Tusculan. Crucifer, Josephus Barbius Camerinen. & Ferdinandus Consalvius Auximan., Cappellani Secreti Nostri, Franciscus Ceriolus Magister Domus NostRAE, Bruno Bellozzius Afculan., Petrus Baros Turnacen., Evangelista Caesaris Romanus, Simon de Amicis Camerinen., Sebastianus Mirolus Civitatis Castellae. & Bartholomaeus de Leone Corduben. respectivè Civitatum, vel Dioc. Clerici seu Presbyteri, vel Laici cubiculi Nostri Adjutores.

Dat. P. A. 2.
die 11. Dec.

Dat. Romae apud S. Mariam Majorem sub Anno Piscatoris die 11. Decembris 1671. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

LIII.

Concesso Indulgentiarum Visitantibus Ecclesias Ordinis Sancti Augustini in diebus, quibus festivitates SS. Augustini, Monicae, Nicolai Tolentinatis, & Thomae de Villanova celebrantur.

Consimilem Indulgentiam Ecclesias Ordinis Sancti Benedicti visitantibus concessit hic idem Pont. Constit. 54. Commissae.

Edita A. D.
1671.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Universis Christianissimis praesentes Litteras inspecturis, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Prooemium.

Unigeniti Dei Filii Redemptoris, & Domini Nostri Jesu Christi, qui è sinu Patris descendit in terram, & caducam humanae carnis fragilitatem ineffabili clementia induens, ut genus humanum de laqueo servitutis eriperet, & ad primam divinam imaginis, atque similitudinis nobilitatem reformaret, saluberrimorum praecceptorum, vitaeque magisterio Nos instruxit, vices nullo licet meritorum Nostrorum suffragio, gerentes in terris; gloriosos caelestis Regni Incolas, illos praesertim qui tanquam splendidissimae lucernae super candelabrum in domo Domini posita, divinatorum eloquiorum arcana reservarunt, & Ecclesiam universam salutaris doctrinae fluentis irrigarunt, fructuumque è charitatis radice surgentium copia locupletarunt, sincera devotione prosequimur, & fidelium erga illos pietatem spiritualium gratiarum, quarum dispensatio Nobis à Domino credita est muneribus fovere atque incitare studemus, sicut ad ipsorum fidelium aedificationem, Ecclesiaeque utilitatem salubriter expedire in Domino arbitramur.

S. 1. Itaque eximia, omnisque humanae laudis praeconium longè supergressa S. Augustini Episcopi, & Confessoris, Ecclesiae Doctoris praeclarentissimi, qui spiritu Dei plenus haeresum praeculentissimas, tanquam fulgentissimum Christianae eruditionis jubar profundissimis, simulque Sole clarioribus scriptis profligavit, & hominum corda eo, quo ipse ardentissime flagrabat, charitatis igne succendit, decora grato devotoque mentis affectu recolentes, Sanctaeque Monicae ejus genitricis, cujus piis lacrymis, & apud Deum gemitibus tanti tamque sublimis Doctoris conversionem debemus, ac Sanctorum Nicolai Tolentinatis, & Thomae de Villanova Archiepiscopi Valentini, qui religiosam vitam in Ordine Eremitarum ejusdem Sancti Augustini professi, vitae sanctitate, & miraculis, quae Divina bonitas eorum intercessione operari dignata est, eximie claruerunt, aliorumque Sanctorum dicti Ordinis professorum praecleara merita, pia meditatione considerantes, necnon Venerabilis Fratris Josephi Eulani Episcopi Helenopolitan. Sacarii Nostri Apostolici Praefecti, qui in minoribus constitutus professionem regularem in Ordine praedicto emisit, supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis, benigne inclinati, ac de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis utriusque sexus Christianissimilibus verè poenitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis tam Fratrum etiam Excalceatorum, quam Monialium dicti Ordinis haecenus erectis, & in futurum quocumque erigendis, ac ubicumque locorum existentibus in eorumdem Sancti Augustini, & Monicae, ac Nicolai Tolentinatis, & Thomae de Villanova festis diebus, necnon die 13. Novemb. qua omnium Sanctorum Ordinis praedicti commemoratio ibidem fieri solet, à primis vespere usque ad occasum solis dierum hujusmodi annis singulis devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die ex praefatis id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

S. 2. Volumus autem ut earumdem praesentium Litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis eadem fides in judicio, & extra illud ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae, vel ostensa.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Anno Piscatoris die 18. Decembris 1671. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Indulgentias elargitur illis, qui Ecclesias Ordinis Sancti Benedicti in diebus festis ejusdem, ac SS. Scholasticae, Placidi, & Mauri, ac in die, quo commemoratio omnium Sanctorum Ordinis praedicti celebratur, visitabunt.

Ad materiam vide Constitut. 53. Unigeniti, hujus Pontificis.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Universis Christianissimis praesentes Litteras inspecturis, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Commissa Nobis à Domino Nostro JESU Christo dispensationis ratio exigit, ut caelestium munerum thesauros ad augendam in terris

Sancto-

Transumptorum Bileti

Dat. P. A. 2.
die 18. Dec.

LIV.

Edita An. D.
1671.

Prooemium.